

Medley.

Are fl.

Araris
Galliae.
Craven.

Skipton.

Latium.

Kigebley.

Libera
Warrena.

Leedes.

Winwid-
field.

cum & aquas & nomen in *Aro* deponit suum. *V-*
bi ad confluentes intersidet *Medley*, olim *Medley*,
id est, *Interamna*, vel *media inter amnes* ob situm di-
cta: sedes superiori s^{ecundu}lo Roberti *VWaterton*

Hippocomi Regis Henrici Quarti, nunc vero

clarissimi Militis Ioannis *Savilli* dignissimi Baronis

Regii Scaccarii, quem & mihi pro humanitate

favisse, & hoc opus pro doctrina promovisse li-

bens lubensque agnosco.

Arus ex *Pennigent* montis radicibus, qui in-
ter Occiduos montes altius se effert, ortus, sta-
tim ita mæandris iudit, quasi dubius fontes an-
mare petat, ut septies semihoræ spatio recto
itinere mihi trajiciendus esset. *Tranquillus*,
compositus, & vix fluens leniter fluit, unde for-
titum nomen credimus. *Lenem enim & lentum*
Ara Britannis denotare diximus, unde latus il-
le Galliæ Araris nomen habet. Regionem ad
hujus fontes *Craven* vocamus, forte à Britanni-
ca *Crage*, id est, *Saxum*. *Saxis* enim, atque pen-
dentibus rupibus, & aspretil omnia inhorre-
scunt, quibus media, suis quas latebris, non
procul ab *Aro* subsidit *Skipton*, interque præcipi-
tia quodammodo inclusa latet, perinde ac Ita-
liæ *Larium*, quod sic dictum autumat Varro,
quia sub Apennino, & Alpibus lateat. Oppidum
pro ratione ædificiorum inter hos montes satis
est nitidum, castrumque habet ornatum sane,
& munitum, à Roberto de *Rumeley* constructum,
per cuius posteros hæreditario ad Albæmarlæ
Comites devenit. Cum autem horum caduca
hæreditas, ut ajunt, Regibus obtigisset, Rober-
tus de *Clifford* (cuius posteri nunc sunt Cumbriæ
Comites) commutationis jure, & hoc castrum
& amplissima circumquaque latifundia ab Rege
Edwardo Secundo consequutus est, traditis Re-
gi in manum possessionibus quas in *Marchia VValla*
ille habebat.

Cum *Craven* superaverit *Arus*, diffusor lætio-
res agros circumjectos, & inter eos *Kigebley*
præterit, quod nomen fecit claræ familiae de
Kigebley inde dictæ. E qua Henricus *Kigebley* ob-
tinuit ab Edwardo Primo huic suo Manerio jus
mercatus, *ferie*, & liberam *VVarrenam*, ita quod nul-
lus intret terras illas ad fugandum in iis, vel ad aliquid
capiendum quod ad *VVarrenam* pertineat, sine licentia &
voluntate ipsius Henrici & successorum ejus. Quod
magni instar beneficii eo seculo habitum, & ego
adnoto, ut videamus quid fuerit *Libera VVarrena*.
Verum recta linea maſcula hujus familiae noſtra
memoria defuit in Henrico *Kigebley* de *Inkip*, fi-
lia autem & hæredes enuptæ Willielmo *Caren-
dich* nunc Baroni *Cavendish* de *Hardwick*, & Tho-
mæ *VVorsley* de *Boothes*. Hinc *Arus Kirkfall* non ob-
scurum olim monasterium ab Henrico *Lacy* anno
M C X L V I I fundatum præterabitur, demum-
que *Leedes*, Saxonice *Loyber* invist, quod *villa*
Regia factum fuit cum C A M B O D V N V M hostili
igne succensum jacuit, nunc oppidum lanificio
opulentum, ubi *Oswius Northumbrius Pendam*
Mercium fudit. Et magna cum utriusque populi utili-
tate, ut inquit Beda, nam & suam gentem ab hostili
Paganorum depopulatione liberavit, & ipsam *Merciorum*
gentem ad fidei Christianæ gratiam convertit. Locus ve-
ro ipse in quo pugnatum est, *VVinwidfield* à scri-
ptoribus vocatur, quod nomen à victoria impo-

situm suspicor, ut locus in Westphalia, ubi Quin-
tilius Varus cum suis legionibus cæsus erat, Ger-
manice *VVinfield*, id est, *Victoria campus*, appella-
tur, ut annotavit doctissimus, & mihi summe
amicus Abrahamus Ortelius. Regiuncula cir-
cumvicina vetusto nomine olim *Elmet* appella-
ta fuit, quam Eadwinus filius *Ællæ Rex Nort-
humbriæ* expulso Ceretico Rege Britanno sui
juris circa annum Christi D C X fecit. In hac
calx viva passim effoditur, quæ ad *Brotherton*, &
Knottingley excoquitor, statisque temporibus
quasi nundinis ad *VWakefeldiam Sandall*, & *Stan-
bridge* magna vis ejus convehitur: & in Occiduum
hinc regionem, quæ montana & frigidior, ad
agros lætificandos & fœcundandos divenditur.
Sed hæc agricolis relinquamus, ego quo cœpi
pede pergam.

Calderum quem dixi, hospitem cum suis aquis
tandem recipit *Arus*, ubi juxta ipsos conflu-
entes, *Castle-ford* est viculus, *Caster-ford* Marianus
vocat, qui prodit, cives Eboracenses plurimos
ex Edelredi Regis exercitu ibi cecidisse, quos in-
sequentes carptim lacefferunt, cum ille ob fidem
violatam hanc regionem incursaret. Sed vetu-
stiore nomine hic locus Antonino *LEGEONIUM*, & *LAGETIVM* dicitur, in quo præter
vetustatis expressa atque illustria indicia, magna
vis Rom. nummorum, *Sarafins head vulgus* ibi
vocat, in loco *Beanfield*, à fabis nunc dicto, juxta
Ecclesiam inventa: etiam distantia à D A N O &
EBORACO, quibus interpositi, planissime docet:
ut situm ad ipsam militarem Romanorum viam,
& quod Rogerus Hovedenus diserte Civita-
tem vocat, taceam.

Hinc *Calderi* incurfu *Arus* grandior à sinistra *Brother-
ton*, *Brotherton* oppidulum relinquit, in quo * *Marga-
reta Regina* è venatione divertens, partu leva-
ta marito suo Edwardo Primo Thomam de
Brotherton inde nominatum, qui postea Comes
Norfolciæ & Angliæ *Marescallus*, peperit. Nec
longe inferius *Arus* recepto *Dano* in *Ousam* se im-
mergit. A dextra, ubi marga flavor reperitur, *Marga-
flava*
quæ agris inspersa ad fertilitatem plures annos
valet, haud procul à ripa *Pontfract*, sive *Pontem*
fractum, vulgo *Pontfreit* præterit, quod è *Legeo-
li* occatu quasi in vitam prodiit. Saxonis tem-
poribus *Kirkby* vocabatur, sed Normanni à fra-
eto ponte Gallice *Pontfract* nominarunt. Ex eo,
ut vulgo creditur, quod pons ligneus super *A-
rum* in proximo fractus erat, cum *Guilielmum*
Archiepiscopum Eboracensem (qui natus ex
Stephani Regis sorore) Roma reducem maxima
hominum multitudo comitaretur, plurimique
in flumen deciderent, sed Archiepiscopo ube-
rius flente, & numen divinum invocante, ne u-
nus periret. Agro sedet peramœno, glycyrræ,
& siferis feraci, ædificiis excultum nitidis, ca-
strumque rupi affixum ostendit, si quod aliud
magnificum, crebrisque propugnaculis non mi-
nus speciosum, quam tutum. *Hildebertus Lacy*
Normannus, cui hoc oppidum cum vicino a-
gro (Alrico Saxone exturbato) *Guilielmus Pri-
mus* dederat, castrum hoc primus condidit. *Hen-
ricus vero Lacy* ejus nepos fuit in bello (ex *Placitis*
loquor) ad *Trenchbrey* contra *R. Henricum Primum*,
quare dessefitus fuit de *Baronia de Pontfract*, & Rex de-
dit *Placita* *H. 3.*

Lime-
stone.Elmet.
Ninius.Castle-
ford.Legeo-
lium.S. Guili-
elmus
Ebora-
cenfis.